

Quaeres 2. *Utrum justitia distributiva in praemium bonorum et malorum vindictam, sit formaliter in Deo?*

Resp. Affirm. Nam Psalm. 10. *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Ratio est, quia bonis praemium, et malis supplicium, pro ratione eorum meriti vel demeriti reddit.

Quaeres 3. *Utrum sit in Deo misericordia?*

Resp. Non est quatenus dicit tristitiam de miseria aliena: est autem quatenus significat voluntatem alienae miseriae subveniendi; haec enim voluntas est perfectio sine imperfectione.

Quaeres 4. *Quid sit providentia?*

Resp. Definitur: *Ratio ordinis rerum ad finem,* per media congrua.

Quaeres 5. *Utrum detur providentia?*

Resp. Affirm. Id enim asserit Scriptura Eccli. 6. *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et cap. 14. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Ergo.

Objicies 1. Multa casu fiunt et fortuito. 2. Multa fiunt frustra in rerum natura. 3. Impii ut plurimum prospere agunt, justis econtra adversis premuntur: atqui haec cum providentiae existentia stare non possunt; ergo, &c.

Resp. ad 1. Dist. ant. Multa casu fiunt respectu nostri, qui ignoramus causas multorum effectuum, et finem ad quem ex intentione Dei diriguntur, *conc.* respectu Dei, *nego min.*

Resp. ad 2. dist. ant. Multa fiunt frustra, respective ad causas particulares, *conc.* respective ad provisorum generalem, *nego ant.* Illa enim quae frustra fieri videntur, ad decorem universi ordinantur.

Resp. ad 3. nego conseq. Nam in hoc et malis providet Deus et bonis; malis quidem, ut eos adducat ad poenitentiam, et virtutes morales, si quae sint in eis, compenset: bonis vero, ut expientur in hac vita peccata eorum: ut virtus eorum probetur, exercea-

tur, et perficiatur; ut, praesentem vitam contemnentes, Deum ardentius quaerant: ut eorum merces au-geatur, &c.

Objicies 2. Si Deus omnibus provideat, actus creaturae etiam liberae, a Deo provisi, erunt necessarii; nan sunt necessario: ergo &c.

Resp. Nego ant. Cum enim providentia disponat omnia suaviter, res necessarias necessario, res vero liberas libero modo regit et gubernat: equidem quae sunt a Deo provisa fient necessario necessitate hypothetica quae nullatenus officit libertati, non vero necessitate absoluta.

Quaeres 6. *Utrum providentia semper assequatur finem rerum quae ei subsunt?*

Resp. Semper assequitur suum finem generalem, quae est manifestatio bonitatis, aliorumque attributorum divinorum; at non semper assequitur suum finem specialem, sic homo non semper assequitur beatitudinem, quae est finis specialis ad quem ordinatur a divina providentia. Ratio est, quia Deus finem generalem vult efficaciter; non autem semper sic vult finem specialem.

CAPUT X.

De Praedestinatione.

Quaeres 1. *Quot modis spectari potest praedestinatio?*

Resp. Potest sumi duobus modis. 1. *Incomplete,* pro voluntate Dei absoluta et efficaci dandi gratiam nude et solitarie sumptam, vel gloriam item nude et solitarie sumptam. 2. *Complete,* pro voluntate divina absoluta, et efficaci dandi gratiam simul et gloriam, seu quatenus non tantum respicit gloriam aeternam;

sed etiam omnia gratiae dona, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur.

Quaeres 2. *Quomodo definitur praedestinatio complete sumpta?*

Resp. Definitur a Div. Aug. lib. de dono Persev. cap. 14. *Praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

Dicitur 1. *Praescientia*, quo nomine intelligitur scientia visionis praesupponens scientiam conditionatorum, tum quia D. August. illam scientiam praeponebat decreto absoluto praeparationis beneficiorum gratiae et gloriae; tum quia Div. Aug. cap. 17. de Deo, ait: *Namque in sua, quae falli mutarique non potest, praescientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam, est praedestinare.*

Dicitur 2. *Praeparatio*, id est, praecoordinatio in Deo existens ab aeterno.

Dicitur 3. *Beneficiorum Dei*, per quod alii gratiae solius, alii gloriae solius, alii verisimilius, tum gratiae tum gloriae dona intelligunt.

Dicitur 4. *Quibus certissime liberantur*, nempe a peccato per gratiam efficacem, et a miseria per gloriam aeternam.

Dicitur 5. *Quicumque liberantur*, quia praedestinatio non ad omnes homines, sed ad aliquot tantum extenditur per quod differt a providentia tum naturali, tum supernaturali, quae est voluntas dandi gloriam antecedens et conditionata.

Quaeres 3. *Utrum existat vera ex parte Dei praedestinatio?*

Resp. De fide est dari, Matth. 25. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Et Rom. 8. *Quos praedestinavit, hos et vocavit, &c.* Ratio est, quia quicquid Deus facit in tempore, illud ab aeterno facere praecoordinavit ac decrevit.

Quaeres 4. *Quotplex est scholasticorum sententia circa causam meritoriam praedestinationis ad gloriam solitarie sumptam?*

Resp. Duplex. 1. *Sententia* distinguit praedestinationem in eam quae est *secundum ordinem intentionis*, estque actus divinae voluntatis ab aeterno decernentis alicui dare gloriam; et eam quae est *secundum ordinem executionis*, estque ipsa actualis gloriae retributio. Atque docet praedestinationem spectatam secundum ordinem executionis esse propter gratiae merita: spectatam vero secundum ordinem intentionis, esse mere gratuitam, et independenter a quovis praedestinati merito factam, ita ut Deus aliquos in 1. instanti ad gloriam efficaciter praelegerit, et in 2. eosdem ad gratiam efficacem et ad merita supernaturalia, quibus gloria est obtinenda.

2. *Sententia* docet efficacem praedestinationem ex praesupposita meritorum gratiae praevisione fieri, ita ut Deus nemini prius gloriam efficaciter decernat, quam praeviderit eum gratiae certo consensurum.

Quaeres 5. *Utrum praedestinatio ad gloriam fiat ex praevisionis gratiae meritis?*

Resp. Affirm. Prob. 1. Ex Script. Matth. 25 ubi Christus praedestinos alloquens, ait: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare, &c.* Ubi manifeste Christus docet regnum coelorum non tantum dari, sed etiam parari propter bona opera: nam particula *causalis enim*, quae illa verba, *possidere, et paratum*, subsequitur, utrumque afficit, ut exponunt PP. D. Chrysost. Hom. 80. in Matth. *Quia sciebam vos, antequam nati essetis, huiusmodi futuros, inquit, haec vobis a me praeparata sunt.* Et Div. Hieron. verba Matthaei objecta interpretans, ait: *Hoc juxta praescientiam Dei accipiendum est, apud quem futura jam facta sunt.* At praescientia non respicit collationem actuali glo-

riae, sed solum illius praeparationem ob futura merita; ergo.

Prob. 2. Ex Rom. 8. Quos praescivit, et praedestinavit; praescientia hic praemittitur praedestinationi, ut significetur praescientiam meritorum esse causam directivam praedestinationis, ut exponunt. D. Ambros. lib. 5. de fide: Quos praescivit, inquit, hos et praedestinavit, quia non ante praedestinavit, quam praescivit; sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit.

Prob. 3. Ex SS. PP. D. Epiph. in exposit. horum Christi verborum: Non est meum dare vobis, ait. Non est meum dare vobis, sed si laboraveritis, erit vobis paratum a Patre meo. Et Div. Chrysost. Non est meum dare: sed quibus labore, atque sudore praeparatum est. Ergo gloria non tantum datur, sed etiam praeparatur ob praevisa merita, ut immediate declarat D. Chrysost. dicens: Num igitur quasi non potentem illum ideo facere condemnabimus? Nequaquam, sed justitiam ejus admirabimur: quoniam non personam, sed rem, id est, merita, respicit.

D. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, ait: Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus, ante ultimum futurum judicium denegavit, quos per certissimam praescientiam, et justissimam misericordiam secum regnatos in vitam praedestinavit aeternam. Atqui praedestinari per certissimam praescientiam et per justissimam misericordiam, est certe praedestinari propter praevisa merita; ergo, &c.

Idem lib. 1. ad Simplicianum, qu. 2. ait: Non tamen electio (ad gloriam) praecedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans (per bona opera praevisa) ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi praescientia, operum scilicet cum gratia Dei elicitorum.

D. Fulgent. lib. 1. ad Monimum, cap. 24. ait: Prae-

destinavit ad regnum, quos praescivit ad se misericordiae praevenientis auxilio redituros, et in se, misericordiae subsequenter auxilio mansuros. Quod manifeste indicat praedestinationem ad gloriam esse post praevisa merita.

Prob. 3. ratione: Deus ab aeterno decrevit facere quod facit in tempore, et quidem eodem modo quo illud facit in tempore, juxta illud D. Thom. in cap. 8. Epist. ad Rom. lect. 6. Eadem ratione Deus beneficia, quae nobis confert in tempore, praeparavit ab aeterno; atqui Deus in tempore dat gloriam propter merita, ut fides docet; ergo, &c....*Prob. major.* Quia SS. PP. inferunt executionem gratuitam ex electione gratuita: Deus nato gratis gratiam suam tribuit, inquit Div. Fulgent. lib. 1. de praedest. et gratia, quia gratis eam praeparaverat, nascituro; ergo idem est modus eligendi finem cum modo illum executioni mandandi. Caeterae probationes videantur Tomo II. nostrae Theologiae.

Objicies 1. Christus Lucae 12. dixit discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum. Atqui vox iuxta, complacuit, significat voluntatem puri beneplaciti, quae excludit omne meritum praevium; ergo.

Resp. Dist. min. Vox, complacuit, significat voluntatem puri beneplaciti antecedentem, conditionatam, et inefficacem dandi gloriam sub conditione meritorum, conc. voluntatem absolutam et efficacem, nego min. Alias Judas, qui de illo pusillo grege erat, fuisset efficaciter electus ad gloriam.

Objicies 2. Rom. 9. dicitur: Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali [ut secundum electionem propositum Dei maneret] non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei (Rebecca) quia major serviet minori, sicut scriptum est; Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Unde sic argumentor: ante omne praevium meritum Jacob diligitur; atqui per illam dilectionem Jacob, illius praedestinatio intelligitur; ergo.

Resp. Dist. min. Intelligitur illius praedestinatio ad gratiam, *conc.* ad gloriam, *nego*: Nam, ex ipso textu, Esau perinde gratis fuit odio habitus, ac Jacob dilectus; ergo si sermo esset de praedestinatione ad gloriam, sequeretur reprobationem fieri etiam ante praevisa demerita, et ex solo Dei beneplacito; quod est haereticum.

Objicies 3. D. Aug. pluribus in locis, docet praedestinationem fieri ante praevisa omnia merita; ergo.

Resp. Dist. ant. Docet praedestinationem ad gratiam fieri ante omnia merita, *conc.* praedestinationem ad gloriam, *subdist.* ante omnia merita naturalia et gratiam praecedentia, *conc.* ante omnia merita gratiae, *nego*.

Itaque D. August. in locis, quae nobis obijciuntur, impugnat *Pelagianos*, qui docebant gratiam Dei secundum merita nostra naturalia dari; et *Semi-pelagianos* qui docebant gratiam dari propter merita quorum saltem initium esset a natura et libero arbitrio; sicque tota quaestio inter Div. Aug. et ejusmodi haereticos, non erat de meritis antecedentibus praedestinationem ad gloriam, sed de meritis antecedentibus praedestinationem ad gratiam. Inde est quod Div. Doctor loquens obiter de praedestinatione ad gloriam, docuit eam non esse factam ex operibus naturalibus ad sensum illorum haereticorum, qui non poterant dicere, eam esse factam ex praevisis meritis a gratia praeveniente adaequate profectis, cum saltem teneret initium fidei esse a nobis, ut solis, et non a praedicta Dei gratia adjutis.

Quaeres 6. *Quid sit effectus praedestinationis?*

Resp. Est id omne, quod, virtute praedestinationis factae, Deus ex speciali affectu confert electo, ut eum ad gloriam perducat.

Quaeres 7. *Quid requiratur ut aliquid sit effectus praedestinationis?*

Resp. Tria. 1. *Requiritur*, ut sit a Deo. Quare peccatum non est effectus praedestinationis. . . . 2. *Requiritur*, ut detur ex meritis Christi, quare creatio non est

effectus praedestinationis. . . . 3. *Requiritur*, ut certissime ad ipsius gloriae consecutionem conducat, sive formaliter, sive dispositive, sive etiam occasionaliter.

Quaeres 8. *Quot sunt effectus praedestinationis?*

Resp. Sunt tres. Scilicet, vocatio, justificatio et glorificatio, juxta illud Rom. 8. *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

Objicies: Vocatio et justificatio sunt communes praedestinitis et reprobis; ergo non sunt effectus praedestinationis.

Resp. Dist. ant. Sunt communes, si spectentur in se, *conc.* si spectentur ex parte Dei, *nego ant.* Nam ex parte Dei dantur praedestinitis ex absoluta et efficaci intentione perducendis ad gloriam; reprobis vero concedentur tantum ex voluntate Dei generali salvandi omnes homines; ideo in illis sunt tantum communes providentiae generalis effectus.

Quaeres 9. *Utrum peccati permissio praedestinationis sit effectus?*

Resp. Non est per se, sed occasionaliter, quatenus nimirum a Deo ordinatur ad praedestinati salutem. Quare D. August. *Serm. 33. de verbis Domini*, ait: *Audeo dicere: Superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur, et cum timore et tremore salutem suam operentur.*

Objicies: Permissio peccati non est Dei beneficium, nec est ex meritis Christi; ergo.

Resp. Dist. ant. Non est Dei beneficium, nec ex meritis Christi, in se considerata, *conc.* prout subest intentioni divinae, *nego ant.*

Quaeres 10. *Utrum praedestinatio sit certa?*

Resp. Est certissima secundum se; nam. *Joan. 10. Christus de electis*, ait: *Non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Et cap. 13. Scit Christus quos elegerit.*

Quaeres 11. *Utrum praedestinatio sit certa respectu nostri?*

Resp. Non est certa, certitudine absoluta, absque speciali revelatione; nam *Eccles.* 9. dicitur: *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Hinc. Concil. Trident. *Sess.* 6. *can.* 16. definit: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certe habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Quaeres 12. *Quot sunt signa praedestinationis?*

Resp. Varia assignantur a Patribus vitae spiritualis: nempe frequens et devotus Sacramentorum usus, Zelus honoris Dei et salutis proximi. Frequens de Deo sermo et cogitatio. Desiderium patiendi pro Christo. Ardens desiderium audiendi verbum Dei. Rerum caeduarum contemptus, et coelestium amor. Metus et tremor in operanda salute cum vera humilitate conjunctus. Devotio erga B. M. V. cui Ecclesia accommodat ista *Prov.* 8 verba: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.*

Quaeres 13. *Utrum praedestinatio sit immutabilis?*

Resp. Est immutabilis. 1. *Ex parte Dei praedestinatoris*, quia Deus nunquam mutabit decretum, quo statuit efficaciter gloriam electis conferre. 2. *Ex parte praedestinatorum*, quia non possunt non consequi gloriam, ad quam electi sunt. Hinc D. August. *l. de correpl. et gratia*, c. 13. ait: *Certus est praedestinatorum numerus, qui neque augeri, neque minui potest.*

Objicies: Qui scripti sunt in libro vitae, possunt ex eo deleri: ergo non est immutabilis praedestinatio.

Resp. Dist. ant. Qui scripti sunt in libro vitae, secundum quid, *conc.* simpliciter, *nego.* Liber vitae secundum quid, est ille in quo inscribitur qui ad gratiam praedestinatus est. Liber vitae simpliciter, est ille in quo inscribitur qui ad gloriam aeternam est praedesti-

natus. Porro potest quis excidere a gratia, nunquam vero a gloria, quando ad eam est praedestinatus.

Inst. 1. Moyses, *Exod.* 32 ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ergo supponit praedestinationem non esse ex parte Dei immutabilem.

Resp. Nego conseq. Nam ille textus intelligitur de libro vitae hujus temporis, de quo etiam loquitur *Num.* 11. dicens ad Dominum: *Obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis.*

Inst. 2. David *Psal.* 68. loquens de libro vitae simpliciter, ait: *Deleantur de libro viventium;* ergo &c.

Resp. Dist. conseq. Possunt deleri negative, id est, non inscribi, *conc.* positive, *nego.* Unde ibidem additur: *Et cum justis non scribantur.*

Quaeres 14. *Utrum praedestinatio necessitatem inferat praedestinatiis?*

Resp. Negat. Quia decretum praedestinationis supponit scientiam conditionatorum, per quam causa libera praevideatur sese determinatura, ex hypothesis quod Deus velit concurrere cum illa.

CAPUT XI.

De Reprobatione.

Quaeres 1. *Qui sit reprobatio?*

Resp. Definitur a Magistro, lib. 1. sent. distinct. 4. *Praescientia impietatis quorundam, et praeparatio damnationis eorundem.*

Dicitur 1. *Praescientia impietatis*, ut significetur reprobationem fieri ex praevisis demeritis. . . . Dicitur 2. *Impietatis*, id est, peccati, vel originalis solum, vel actualis solum, vel utriusque simul conjuncti in adultis non baptizatis. . . . Dicitur 3. *Et praeparatio damna-*

tionis eorumdem, per quod intelligitur absolutum Dei decretum aliquos excludendi a gloria, et ad supplicium aeternum deputandi.

Quaeres 2. *Quotuplex sit reprobatio?*

Resp. Duplex; positiva nempe, et negativa.

Quaeres 3. *Quid sit reprobatio positiva?*

Resp. Est decretum divinum, quo aliqui excluduntur a vita aeterna, et deputantur ad poenas aeternas. Haec etiam dicitur adaequata.

Quaeres 4. *Quid sit reprobatio negativa?*

Resp. Ab aliquibus definitur: *Mera non electio ad vitam aeternam.* Ab aliis vero; *actus positivus, quo Deus quosdam non tantum non eligit, sed etiam excludit a vita aeterna, tanquam a beneficio indebito.* Quo sensu potest dici reprobatio positiva *inadaequata.*

Quaeres 5. *Utrum detur reprobatio adaequata?*

Resp. Affirm. Matth. enim 25. Christus ait: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.*

Quaeres 6. *Quaenam sit causa reprobationis positiva?*

Resp. Est solum peccatum a Deo praevisum, ut fides docet contra Calvinum, qui non aliam reprobationis causam statuit, praeter voluntatem Dei, qui aliquos, pro solo suo beneplacito, praedestinando, alios ad poenas aeternas antecedenter ad eorum demerita praedestinavit. . . . *Prob. responsio ex Script. Sap. 1. Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum.* Atqui si Deus aliquos, ante omne demeritum, excluderet positive a gloria, et poenis addiceret aeternis, faceret mortem, et maxime laetaretur in perditione vivorum; ergo. Hinc Christus, Matth. 25. ait. *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, &c.* Et D. August. lib. 3. contra Julian. dicit: *Non potest, Deus, quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est;* ergo dogma Calvinii blasphemam Deum esse injustum.

Objicies: Prov. 16. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum;* ergo Deus impium creavit eo fine, ut reprobus esset.

Resp. Nego. conseq. Non enim aliter verba allata intelligi debent, quam quod homo, quamvis praevideatur in peccatum lapsurus, atque adeo damnandus, non desinat tamen a Deo produci ut inde patefiat gloria Dei, qui melius judicavit de malis benefacere, quam nulla mala permittere, ait D. August. in Enchiridio, cap. 27.

Quaeres 7. *Utrum peccatum originale praevisum, sit causa reprobationis adultorum baptizatorum, ut volunt Jansenius et ejus discipuli?*

Resp. Negat. Nam peccatum originale in hominibus baptizatis fuit per Baptisma remissum, ut Conc. Trid. Sess. 5. can. 5. definitivum his verbis: *Si quis per J. C. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit.* Quam definitionem confirmat ex hoc Rom. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, id est, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, ut habet Trid.*

Respondent adversarii, peccatum originale remitti per Baptisma quoad culpam, non vero quoad poenalties: in baptizatis enim remanent ignorantia, et concupiscentia, quae moralem quamdam peccandi necessitatem inducunt, nisi Deus efficaciter adjuve.

Contra est: Nam Conc. Trid. definit, concupiscentiam nocere, non consentientibus, sed viriliter per J. C. gratiam repugnantibus, non valere. Item docet, quod baptizati, Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Atqui si concupiscentia esset causa reprobationis a gloria, plurimum noceret, baptizatus haberet aliquid, quod eum ab ingressu Coeli remoraretur; ergo, &c.

Objicies: D. August. Epist. 105. ad ista verba: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui, dicit: quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Ergo reprobatus est propter solum peccatum originale.

Resp. Nego. conseq. D. August. enim non agit ibi de reprobatione a gloria, sed agit de reprobatione a gratia speciali, ut ostendat eam non dari propter bona opera naturae praevisa, quandoquidem Deus uni suam largitur gratiam antequam quidquam boni egerit, et alteri denegat antequam quidquam egerit mali; addit enim: *Ubi nunc opera, vel praeterita, vel futura tanquam liberi arbitrii viribus impleta, vel implenda nonne apertam protulit Apostolus de gratuitate gratiae, hoc est, verae gratiae commendatione, sententiam?*

Quaeres 8. Utrum detur negativa adultorum reprobatio a gloria tanquam a beneficio indebito, quae fiat ex solo Dei beneplacito ante praevisum quodcumque peccatum actuale?

Resp. Non datur, sed unica reprobationis adultorum baptizatorum causa, sunt actualia eorum peccata; quia sincerus affectus homines salvandi, stare non potest cum reprobatione negativa a gloria: nam affectus, qui non tam est, quam esse futurus, si nihil obstaret, non est sincerus; atqui, juxta adversarios, affectus Dei erga salutem hominum, non tam est, quam esset, si nihil aliud obstaret: *Voluntas illa antecedens, inquit Alvarez, disp. 34. conclus. 4. Actum conditionatum importat in Deo, quo vellet salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pulchritudo universi, et bonum universale divinae justitiae et misericordiae.* At quomodo hoc conciliari potest cum his, *Ezech. 33. verbis: Nolo mortem impii, sed ut convertatur a via, et vivat!*

Hinc SS. Patres unanimiter rejiciunt reprobationem negativam, cum asserant eam fieri ob praevisa peccata actualia: sic D. Prosper. *respons. ad 3. objectionem*

nem Gallorum, de reprobis dicit: Ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri (nempe mali in fine vitae) ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt. . . . essent autem praedestinati, si essent reversuri, et in sanctitate mansuri.

Objicies: Deus excludit negative, seu non eligit hominem ad gloriam, quia est illi indebita; ergo sola Dei voluntas est causa reprobationis negativae.

Resp. Nego ant. Quia, posita misericordia et ordinatione Dei, qui sincere vult omnes homines salvos fieri, eisque dat sufficientia media, quibus ad salutem pervenire possint: posita item redemptione per Christum, Deus non potest excludere hominem a gloria, praecise quia est beneficium ipsi indebitum; sed requiritur ex parte hominis peccatum, sive originale, si praevideatur non remittendum, sive actuale in renatis.

Quaeres 9. Quot sint effectus reprobationis?

Resp. Sunt quatuor, nempe: 1. Est permissio peccati cum morte conjuncti. . . . 2. Est excaecatio mentis, qua fit ut homo se peccare non amplius advertat, sicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impoenitens. . . . 3. Est obduratio cordis, qua fit ut induratus lucentem veritatem rejiciat, et adhortantibus hoc unum respondere soleat, *non possum. . . .* 4. Est poena tum damni, tum sensus.

Quaeres 10. Quomodo Deus peccatorem induret et excaecet?

Resp. Hoc exequitur duobus modis, 1. Cum peccatori denegat auxilia efficacia, per quae converteretur actu, et non moreretur in peccato. . . . 2. Cum permittit peccatorem incidere in tentationes et occasiones peccandi, quibus videt futurum ut peccata peccatis accumularet: aut etiam illi offert objecta per se bona, vel certe non mala, quibus abutitur in suam perniciem, sicut advenit Pharaoni, ut explicat D. Aug. *lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 21.*